



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 3. Epistola Papæ ad Patriarcham Armeniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.
A. C. 1351.
sis, Metropolita Callisti successor in patriarchatu, & Gregorius Metropolita Theffalonicensis, nempe Palamas. Cuncti titulos vanos & ambitiosos ex more temporis sibi adscribebant; ut: humilis Jacobus Chalcedonensis Metropolita venerabilissimus, ac totius Bithyniæ Exarchus.

Greg. l. 21.
c. 6. not.
p. 798.

Post duos circiter menses Palamitæ Cantacuzeno persuaferunt, ut librum quodammodo consecraret per ceremoniam novam ac extraordinariam. Die assumptæ in cœlum Virgini sacro 15 Aug. in templo S. Sophiæ hora octava post officium matutinum liber solenniter legebatur coram Patriarcha, Episcopis, Sacerdotibus, omni Clero, Magistratibus, & maxima parte populi: tum Imperator suo indutus ornatu in ara suis manibus posuit duo volumina complexa tres libros, scilicet duos contra Barlaamum & Acyndinum, atque hunc postremum, quem numerabant tertium.

§. III.

Epistola Papæ ad Patriarcham Armenicæ.

Sup. lib. 95.
p. 34.

Anno 1346 Papa Clemens ad Patriarcham Armeniæ duos Legatos miserat, Antonium Cajetæ Antistitem, ac Joannem electum Præsulem Coronensem, post-

postmodo Archiepiscopum Pisanum. An-
tonio in itinere vita functo, hic Catho-
ci seu Patriarchæ, ac Ecclesiæ Minoris
Armeniæ responsa retulit ad Papam: qui
Cardinalibus, quibusdam Episcopis, &
nonnullis Theologiæ, Jurisque Canonici
Doctoribus in consilium adhibitis, Catho-
lico scripsit in hæc verba: Cum ex his
responsionibus seu scribæ, seu interpretis
culpa non potuerimus satis intelligere,
quid multis in punctis tu ac Ecclesia tua
credatis: ex te quærenda duximus se-
quentia.

Creditisne cunctos in baptismo ca-
tholicam nactos fidem, sed postea Roma-
na ab Ecclesia deficientes, si ab hujus
fide sejuncti pertinaciter maneant, schis-
maticos esse ac hæreticos, & Papæ in-
obsequentem neminem posse salutem
consequi? Creditis S. Petrum a Christo
accepisse plenam in omnes Christianos
jurisdictionem; ex hac pependisse totam
potestatem reliquis ab Apostolis certis
in provinciis exercitam, & singulos Pa-
pas S. Petri successores huic fuisse pares
in potestate? An creditis a Papa per
eandem posse Christianos omnes proxime
judicari, & hoc fine constitui, qua-
les velit, Judices ecclesiasticos? Creditis
Papam judicari a Deo solo, nec ab il-
lius sententiis ad ullum Judicem ap-
pellari posse? Num creditis Episcopos,

Sæcul. XIV.
A.C. 1351.

Rayn. 1351.
n. 2.

n. 3.

Sæcul. XIV. Abbates, cæterosque Clericos a Papa
A.C. 1351. posse transferri ad sedes alias, vel de gra-
 du dejici, si mereantur, ac exaugurari?
 Creditis Papam a nulla potestate profana, ne regia quidem aut imperatoria, posse institui, vel corrigi, aut amoveri; eumque solum posse canones generales condere, plenam noxarum veniam concedere, controversias in materia fidei decidere? Hæ quæstiones indicant, qualem tunc Romana curia opinionem de Summi Præfulis autoritate habuerit.

n. 6. Reliqua epistola, quæ longissima est, continet quæstiones de erroribus tum

n. II. 17. Armenorum propriis, tum communibus inter Græcos, sive populos ad Ortum habitantes, & contingentibus statum animarum post mortem hominum, Sacramenta, & speciatim Eucharistiam. Denique Papa conqueritur, quod illi non steterint promissis, Nunciorumque ac Legatorum ipsius monita & documenta spreverint. Dabat 29 Sept. 1351. Constantino quoque Armeniæ Regi scribens cupiebat eum curare, ut illa epistola æquas nancisceretur aures, ac executioni daretur. Significabat simul, ex ærario Apostolico se ipsi mittere sexies mille florenos in Cypro accipiendos.

n. 18.